

Gaspar MURTOLA

NAENIARUM LIBER (952 vers)

Le texte proposé ici a pour source celui publié à Turin en 1606, chez F.F. de Cavaleriis. L'impression en est médiocre et le texte abondamment fautif. Nous avons donc dû prendre le risque de faire des corrections, et même plusieurs restitutions, pour qu'il soit scandable.

NUTRICIARUM SIVE NAENIARUM LIBER.

INVITAT SOMNUM. NAENIA PRIMA.

N_1	v.1	Dum vagit mea pupa, mihi dumbellula vagit,
	2	hos ad vagitus blandule somne veni.
	3	Dum sibi lacrimulis teneros corrumpit ocellos,
	4	has ad lacrimulas blandule somne veni.
	5	Dum mihi submordet mammas, dum crudula mammas,
	6	prensitat, ad mammas blandule somne veni.
	7	Dum mihi subridet tenero mellita labello,
	8	hos ad subrisus blandule somne veni.
	9	Huic dum Naeniolam canto, dum Naenia nanna.
	10	Has ad Naeniolas, blandule somne, veni
	11	omne veni, pulchelle veni : mellitule somne,
	12	somne puellarum dulcis amice veni.

BLANDITUR PUERO. NAENIA II.

N_2	v.1	Injice bracchiolum collo puer, injice et ori
	2	blanditias facias, bellule Pupe, meo.
	3	Blande meus pulchelle meus, mellitule, da mi
	4	basia mille oculis, basia mille genis.

5 Blanditias en ipsa tibi mi, Pupule, blandas
 6 reddo, blanditias accipe belle meas.
 7 Blanditias age, et ipse mihi mi, Pupule, blandas
 8 effice, blanditias en cupio ipsa tuas.
 9 Blande meus, pulchelle meus, mellitule, da mi
 10 basia mille oculis, basia mille genis.
 11 Pupe meus, pupille meus, mellitule Pupe,
 12 deliquium cordis, blandule Pupe, mei.

PAPILLAM COMMUTAT. NAENIA III.

N_3 v.1 Suxisti satis hanc, aliam modo suge papillam
 2 pupula et in gremio pulchra quiesce meo,
 3 una papilla tibi haud satis est, manet altera suge,
 4 suge aliam, mammas pupula suge duas.
 5 Lacte gravis tumet ista, levis jacet ista, tumentem
 6 exprime, et in venas pupula conde tuas,
 7 sed videas avido, cum totam expresseris ore,
 8 ut condas oculos tunc bona Pupa tuos.

BLANDITUR, ET JOCATUR. NAENIA IIII.

N_4 v.1 Turgidulas cui Pupa dabo, cui pupula mammas
 2 numve tibi Ascani, numve Isabella tibi ?
 3 Pupa Isabella mea es, sed es hei mihi crudula pupa,
 4 sed gemis in gremio crudula Pupa meo.
 5 Non sic Ascanius, ridet, sugitque papillas
 6 blandulus, et totus melleus ore puer.
 7 Has habeat puer ergo meus, sit pupulus ille
 8 dormiat in gremio blandulus ille meo,
 9 sed facit invidiam illa tibi, dabo utrique papillas,
 10 et tibi, mi Ascani, et bella Isabella tibi,
 11 haec Isabella tua est, Ascani haec altera, uterque
 12 has premat, et gremio surgat uterque meo,
 13 imo Isabella mihi has solum mellitula sugat,
 14 quid puer Ascanius, quid puer iste mihi ?
 15 Tu solum mellita mihi, tu bellula pupa,
 16 tu mea lux, solum, tu mea vita mihi.

SUSCITAT E SOMNO, ET PORRIGIT PAPILLAS. NOENIA V.

N_5 v.1 Dormisti satis, exilias modo pupula lecto,
 2 dormisti, mammas pupula suge meas,
 3 quam cupis illarum, dextram, magis anne sinistram ?
 4 Lacte gravis dextera est, lacte sinistra gravis.
 5 Dextra magis tumet, ad lalles mihi pupula dextrae,
 6 turgescat gravior mane sinistra tibi.
 7 Forsan utramque cupis, capias mihi pupula utramque
 8 haec mihi pupa tua est, haec mea pupa tua,
 9 sed cum non valeas unam nisi sugere, molle
 10 dexterula foveas candida pupa aliam.

JOCATUR, ET NEQUITIAS FACIT. NAENIA. VI.

N_6 v.1 Tangere lacteolas etiam tibi pupa papillas
 2 ipsa volo, si vis tangere pupa meas.
 3 Tango tuas ego ; tange meas tu, tunc papillas
 4 tunc tuas renues crudula, tunc tuas ?
 5 Ah ne tange meas, quid cum his tibi pupa papillis,
 6 quid tibi cum gremio, quid tibi pupa meo ?
 7 Aut concede tuas, aut has ne tange, lubenter
 8 ipsa meas tradam, si dabis ipsa tuas.
 9 Tango tuas, age tange meas, mihi bellula tange,
 10 suge meas potius pupula, suge meas.

VAGIENTEM CORRIPIT, ET BLANDITUR. NAENIA VII.

N_7 v.1 Quid deflens mihi pupa premis, quid pupula mammas,
 2 quid scindis digitis ubera pupa tuis ?
 3 Mitte manu tractare meas mihi pupula mammas,
 4 nolo tibi mammas tradere pupa meas.
 5 Erminia, Erminia, has habeat bellissima pupa
 6 illa est, et miti mitior ore cubat.
 7 Ipsa sibi facili componit lumina somno,
 8 ipsa suo faciles concipit aure jocos
 9 non vagit, non saeva gemit, non crudula mordet,
 10 ut tu tu mammas crudula pupa meas.
 11 Sed nec tu mordes, nec tu mea pupula vagis,
 12 nec cadit ex oculis guttula amara tuis.
 13 Sed rides, rutiloque inhias mihi bella labello,
 14 sed nitet in tenero plurimus ore jocus.
 15 Sic facias mea stella, tuas cape Pupula mammas,
 16 quis renuat mammas, ubera quisve tibi ?

IRASCITUR IN RENUENTEM BASIA. NAENIA VIII.

N_8 v.1 Oscula quid renuis dulci mihi pupa labello,
 2 quid fugis amplexus pupula avara meos ?
 3 Sic me deludis, sic mi te subtrahis ah ah,
 4 veh mihi, veh poenas improba pupa dabis,
 5 i minus ipsa tuos complexus pupula quaero,
 6 i procul, amplexus pupula nolo tuos.
 7 Inveniam inveniam mihi quae dabit oscula pupam,
 8 inveniam faciet quae mihi blanditias.
 9 Pupa vale, mala pupa vale, turpissima pupa,
 10 pupa puellarum crudula, pupa vale.

MORDENTEN PAPIILLAS CORRIPIT. NAENIA IX.

N_9 v.1 Sugis pupa animam, non lac, dum cruda papillas
 2 mordes ore meis pendula ab uberibus,
 3 es nimium saeva, heu nimium es mihi crudula pupa,
 4 heu dura est nimium, hac pupula durities.
 5 Imple oculos teneros molli nunc pupula somno,
 6 imple oculos mollis, mollior imple genas

7 ille facit Pupas bellas, facit ille rubentes,
 8 lacteolasque magis blandior ille facit
 9 sugis adhuc, crudelis adhuc, mala pupula quid mi,
 10 quid mi cor sugis, quid mihi pupa animam.
 11 Suge animam pulchella meam, mellitula suge,
 12 quis tibi cor renuas, quis tibi pupa animam ?

INVITAT SOMNUM. NAENIA X.

N_10 v.1 Somne, veni, tremulis nictat tibi Clelia ocellis,
 2 somne, veni venias, blandule somne, veni.
 3 Adventu, bone somne, tuo sua lumina condet,
 4 Compescet gemitus te veniente suos
 5 tu mentes hominum mulces, tu pectora, somne,
 6 dulcia tuque animis otia, somne, refers.
 7 Te vir, somne, cupit te femina, blandule somne,
 8 te, somne, et juvenes, te quoque, somne, senes
 9 tu facis aureolos pueros, dulcissime somne,
 10 tu pupas blandas, blandule somne, facis,
 11 huc igitur, bone somne, veni, mellitule somne.
 12 Dormiat adventu bellula Pupa tuo
 13 venisti, bone somne, suos en condit ocellos,
 14 en condit genulas blandula pupa suas.
 15 Somne vale, bone somne vale, somne optime, somne
 16 naennarum inventor, blandule somne vale.

ALLICIT SOMNUM. NAENIA XI.

N_11 v.1 Somniculum captes isto mihi pupula lecto,
 2 somniculum captes hic Isabella mihi.
 3 Somniculi est una hora satis, tibi sufficit hora,
 4 ah captes horae pupula somniculum
 5 somnulus ecce venit, venias, bone somnule, somne
 6 somnule blandidule, blandule somnicule.
 7 Ah nec somniculum captes, sed pupula somnum,
 8 nil bonus iste tibi pupula somniculus.
 9 Somniculus brevis est, longum cape pupula somnum
 10 qui mane incipiat, vespere deficiat.
 11 Somne, veni, bone somne, veni, longissime somne,
 12 somne diurnivage, somneque noctivage.

COMPESCIT FLETUS, ET BLANDITUR. NAENIA XII.

N_12 v.1 Unde meum cor tot lacrimae, unde unde tot inter
 2 rupti singultus, bellula pupa tibi ?
 3 Num fuit Erminia, istos qui tibi, Pupula, fletus
 4 excussit, ductrix num fuit Erminia ?
 5 Erminia Erminia, ah tantum es tune ausa petamus
 6 illam, haec haec tibi habe verbera, et haec tibi habe
 7 heu gemit Erminia, heu luget, queriturque misella,
 8 et fecisse mali nil, ait illa tibi,
 9 o miseram Erminiam, blandire huic pupula blande
 10 non fuit Erminia, heu non fuit Erminia,

11 Gracculus ille fuit, qui te mea pupa momordit,
12 quique malum fecit Gracculus ille fuit.

EXCITAM SOMNO ADMIRATUR, ET ILLI BLANDITUR. NAENIA XIII.

N_13 v.1 Quaenam pupa illa est, quaenam : quae mi excita somno
2 lusitat e cunis pupula bella suis ?
3 Num pupilla mea est, mea num mellitula pupa,
4 num spes, num vita est, numve Isabella mea,
5 ipsa ipsa est, ah quidquid sic mi pupula rides,
6 quid sic subrides pupa proterva mihi ?
7 Conde illos oculos, nolo me pupula spectes,
8 illas pupillas pupula conde tuas,
9 subsilit en cunis tota, en mi extra exsilit, ulnas
10 ut complectatur lactea pupa meas,
11 pupa veni, mea pupa veni, complectere matrem,
12 curre age in amplexus, curre age pupa meos,
13 bella veni, mellita veni, mea stellula, quam uni,
14 quam mihi mollicula es quam mihi dulcicula ?

EXITAM SOMNO CORRIPIT. NAENIA XIV.

N_14 v.1 Quid mi tam mane experta es, quid pupula, quid mi,
2 quid mi tam mane heu, pupula, lacrimulas ?
3 Dormit adhuc mea vita parum, mea stellula dormi,
4 dormi age pauxillum dormi Isabella parum.
5 Mane solent dulci somno dormire puellae,
6 mane solent juvenes, et quoque mane senes.
7 Mane etiam pueri meliori stertere somno,
8 mane etiam puerae pupula mane solent.
9 Immo magis dormire. Solent dormi optima somno
10 mane magis blando, pupula mane magis
11 mane decet juvenes primo expergiscier ortu,
12 surgere post nuptas pupula mane decet.
13 Post aegros mea pupa senes, post pupula pupos
14 post, heu, pupillas, pupula blandidulas.

COMPESCIT LACRIMAS, ET BLANDITUR. NAENIA XV.

N_15 v.1 Comprime lacrimulas, non turpem pupula dixi,
2 non turpem teneras comprime lacrimulas.
3 Erminiae, dixi, Erminiae, illa est pupula turpis,
4 illa mala est, illa est, comprime lacrimulas,
5 cara mihi es, laudata mihi es mea stellula, quin es
6 aurea tota mihi, mellea tota mihi.
7 Pulchra mea es, pulchella mea es, pulcherrima pupa
8 blandula tota mea es, bellula tota mea es.

VAGIENTEM CORRIPIT, ET DETERRET. NAENIA XVI.

N_16 v.1 Quid vagis mea pupa mihi, quid bellula vagis ?
2 Turpescis lacrimis heu mea pupa tuis.

3 Sunt turpes pupae lacrimis, quae lumina turpant,
 4 et lupus in cunis devorat usque suis.
 5 Tene igitur turpem facies, quae bellula pupa es ?
 6 Tene lupus cunis devoret usque tuis ?
 7 Ecce venit, venit ecce vides, quali ore, quibusque
 8 dentibus, et quali gutture saevus hiet.
 9 Ore vorax ilulat, sentin' quales ululatus
 10 ah sileas sileas, ne geme, ne doleas.
 11 En venit, heu miseram, sileas, age pupula, dormi
 12 te condas gremio crudula pupa meo.
 13 Dormit pupa mea, hinc fugias mala bellua, quis mi
 14 quis velit heu pupam subripuisse meam ?

ALLICIT AD SOMNUM. NAENIA XVII.

N_17 v.1 Quae vestrum prius obdormit, num, Clelia, bellis
 2 an prius ipsa oculis bella Isabella tuis ?
 3 Naeniolum ambabus canto, da Naenia nannas,
 4 blandule somne veni, somnule blande veni.
 5 Utraque bella cubat, nannas da Naenia nannas,
 6 somnule blande veni, blandule somne veni.
 7 Sed prius ipsu suos subducit Clelia ocellos,
 8 ah prius ipsa oculos claude, Isabella, tuos.
 9 Tu prius obdormi, nannas da Naenia nannas,
 10 blandule somne, veni, somnule blande, veni.
 11 Tu prius indulge somno, da Naenia nannas.
 12 Blandule somne, veni, somnule blande, veni,
 13 vicisti mea pupa prius, tu lumina somno
 14 clausisti, dormis tu mea pupa prius.

ALLICIT DONIS AD DORMIENDUM. NAENIA XVIII.

N_18 v.1 Si mea se facilem praebibit pupula somnum
 2 hoc crepundiolum, bellule somne, dabo.
 3 Si sine jactatu cuna sua lumina condet,
 4 blandidulam volucrum, blandule somne, dabo,
 5 si sine Naeniola mihi lassula dormiet, illi
 6 aureolum catulum, bellule somne, dabo.
 7 Si sine lacrimulis blandos subducet ocellos,
 8 millia bella illi, bellule somne, dabo.
 9 Audiit illa suos, nitidos en claudit ocellos,
 10 orbibus en nitidis connivet illa suis.
 11 Somne veni, bone somne veni, pulchellule somne,
 12 connivet in cunis somne age, somne veni.

UBERA PORRIGIT. NAENIA XIX.

N_19 v.1 Ubera suge puer dulci turgentia lacte,
 2 quae tibi nudo libens ubera suge puer,
 3 sunt tua, tota tibi nudantur, bellule pupe,
 4 eia age, quid spectas ubera suge tua.
 5 Respuis ipse meas nudatas pectore mammas
 6 improbe num mammas respuis ipse meas ?

7 Haec, Isabella, tibi, dulcis nudo ubera lactis,
 8 curre age in amplexus curre, Isabella, meos.
 9 Sunt tua, tota tibi nudantur bellula pupa,
 10 eia age, quid spectas ubera suge tua.
 11 Pransitat ah dextra mammas puer invidus, ah ne,
 12 ne tangas mammas, invide pupe, meas.
 13 Quin mammas sugit, stringit sibi providus illas,
 14 et vigiles oculos, ne rapiantur habet.
 15 Neve, Puer, timeas, tua sunt haec ubera lactis,
 16 suge tuas mammas, ubera suge tua.

INVITAT AD DORMIENDNM. NAENIA XX.

N_20 v.1 Vesper adest, jam vesper adest, age lumina somno
 2 condas in cunis pupula, vesper adest.
 3 Vesper agit somnum, dormiscas vespere, somnum
 4 concilies oculis vespere, pupa, tuis.
 5 Vespere connivent oculi, nictantque cadentes,
 6 vespere sunt somno lumina victa gravi.
 7 Vespere dormitum tendunt, juvenesque senesque,
 8 vespere dormitum vir mulierque simul.
 9 Vespere dormiscunt pueri, tenereque puellae,
 10 vespere dormiscunt pusioli, et pueri.
 11 Vespere tu tantum cunis dormire recusas
 12 vespere tu tantum crudula pupa mihi.
 13 Vespere dormiscas, ah dormi vespere pupa,
 14 vesper agit somnum, vespere somnus adest,
 15 somne, veni, bone somne, veni, placidissime somne,
 16 mane veni, ah dixi "vespere somne veni".

BLANDITUR IN ISABELLAM. NAENIA XXI.

N_21 v.1 Bella mihi tota es, bello mea pupula vultu,
 2 bella mihi tota es bella Isabella mihi.
 3 Bellae sunt genulae, belli sunt pupula ocelli,
 4 belli Cincinni bella labella tua haec.
 5 Bella manus, bellique pedes, frons undique bella,
 6 auriculae bellae, cruraque bella tibi,
 7 et belle rides, et lallas pupula belle,
 8 et belle mammas, et mihi bella tatas.
 9 Bella etiam dormis, sed non tamen omnia belle,
 10 cum gemis, aut vagis pupula bella facis.

OSCOLATUR. NAENIA XXII.

N_22 v.1 Oscula plura volo, ah non unum sufficit, ah non
 2 plurima ne renuas, oscula, plura volo.
 3 Me genulis admitte tuis me pupa labellis,
 4 me bellis oculis, pupula bella tuis.
 5 Non sunt pupa tuae hae genulae, non pupula ocelli,
 6 non sunt, non sunt haec bella labella tua.
 7 Sunt mea labra, mei sunt isti pupula ocelli,
 8 sunt istae genulae blandula pupa meae.

9 Ergo meas mihi pupa genas, mihi crudula ocellos,
 10 ergo mihi renues bella labella mea.
 11 Non non, tota mea es, te basio pupa labellis,
 12 basio pupa oculis, basio pupa genis.
 13 Pupa mea es, pupilla mea es, mellitula pupa,
 14 bellula tota mea es, blandula tota mea es.

SOMNUM FUGIENTEM REVOCAT. NAENIA XXIII.

N_23 v.1 Somne, fugis, quo, somne, fugis, te subtrahis ah te,
 2 somne redi redeas blandule somne redi.
 3 Venisti sero. Nimium cito somne recedis,
 4 somne redi, redeas, blandule somne, redi.
 5 Clelia non unam dormivit molliter horam,
 6 somne redi redeas blandule somne redi.
 7 Non pueris una hora satis, non una puellis,
 8 somne redi redeas blandule somne redi.
 9 Multum dormiscunt pueri, multumque puellae,
 10 somne redi redeas blandule somne redi.
 11 Pubescunt somno pueri, crescuntque puellae,
 12 somne redi redeas blandule somne redi.
 13 Non lacrimant somno pueri, vagitantque puellae,
 14 somne redi redeas blandule somne redi.

JOCATUR. NAENIA XXIV.

N_24 v.1 Quos illos mea pupa jocos, quos pupula bellos
 2 vis ut in auriculis concipiam ipsa tuis ?
 3 Num vis pipitus, grandes magis, anne bubatus,
 4 en tibi pipillo, bubulo en ipsa tibi.
 5 Pipitius magis ipsa cupis, fugis aure bubatus,
 6 namque metum facit hoc pupa bubare tibi.
 7 In pipillo tibi, rursus pipillo, cupitos
 8 rursus pipitus, pupula pipo tibi.
 9 Sed quoque vis grandes misceri pupa bubatus,
 10 haudque metum facit hoc pupa bubare tibi.
 11 Misceo in aure tuis pipitibus ecce bubatus,
 12 en tibi pipillo, bubulo en ipsa tibi.
 13 Hos sed pipitus inter grandesque bubatus
 14 ba ba ba pupa etiam basia pupa habeas.

HISPANIARUM INFANTULAM. NAENIA.

N_25 v.1 Ecquis Naeniolam tibi jocosam
 2 non cantet mea pupa ? Blandientes
 3 quis voces tibi, cantiunculasque
 4 mellitas neget, et lepore plenas ?
 5 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 6 Tu venustior omnibus puellis,
 7 tu decentior elegantiorque,
 8 tu tu mellea pupa pupularum
 9 exemplar specimen, decus venustas,
 10 tu tu lactea pupa pupulorum.

11 Majestas nitor, aureumque sidus
 12 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 13 Nascenti tibi mille pupa amores
 14 pennas explicuere pulchra circum,
 15 ora purpureo rubore picta,
 16 iidemque igneoli, decentulique
 17 te ornavere, jocis, lepore, risu,
 18 cultu, blanditiis, elegantisque
 19 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 20 Nascenti tibi candidi fuere
 21 soles, et Tagus aureas arenas :
 22 magis lucidulus, magisque gemmans
 23 mille intexuit igneis lapillis
 24 quin ex oceano profundiori
 25 mille munera pulchra concularum
 26 advenere tuas puella cunas.
 27 Quin ex oceano profundiori,
 28 flexiles segetes coralliorum,
 29 baccae, et candidulae rotundolaeque,
 30 dormi bellula pupa pupa dormi.
 31 Talis flammeolo rubens colore
 32 mane flosculus exserit comarum
 33 faces roscidulas, volatque circum
 34 apis mellea talis, ebibitque
 35 aeris pluvias serenioris
 36 aeris pluvias tepentioris,
 37 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 38 Talis lucifer exiens eoīs
 39 pingit luteolo colore Caelum
 40 pingit purpureo rubore terram
 41 pingit caeruleo nitore pontum
 42 dives murice pulchriore, et auro.
 43 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 44 Tibi nobilitas adest Avorum
 45 per multos numerata pupa reges.
 46 Tibi purpureae Ducum Tiarae,
 47 tibi conspicuae Ducum secures
 48 tibi laurigeri Ducum triumphī
 49 venustas tibi Regia eminenter
 50 vertici aureolas parat coronas.
 51 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 52 Caelum divitias superbiōres
 53 tibi pupula tradidit, nitentes
 54 tibi blanditias crepundiorum.
 55 Tibi fasciolas potentiorum
 56 tibi linteola aureis acanthīs
 57 clara lucida, blanda bracteata
 58 tibi lintee pupa, quae ferenda
 59 manus Pontificis dedit beata.
 60 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 61 Immo divitias beatiōres
 62 caelum pupula tradidit decenter
 63 illasque imposuit tuae videndas
 64 fronti eburneolae, venustolaeque,
 65 illasque imposuit tuae colendas
 66 fronti lacteolae, tenellulaeque.

67 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 68 Haec tibi tremulo refusa lacte
 69 pandit areolam undique expolitam,
 70 haec tibi niveis patens pruinis
 71 pandit areolam undique eminentem,
 72 eamdem, et facibus sereniorum
 73 siderum, nitidam, levem, et pudicam.
 74 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 75 O quae caesaries refulget auro
 76 circa tempora, pendulusque manat
 77 hinc cincinnulus, implicatque in orbes
 78 simul, se in varios, elegantulos ?
 79 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 80 Non sunt hi nitidi tui capilli
 81 pupa blandula, pupa mollicella
 82 Cincinnatula pupa, delicata,
 83 sed angues potius venustiores,
 84 qui ad solos renovant se ocellulorum,
 85 sed vincla innumeris referta vinclis.
 86 Revinctura superba corda regum.
 87 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 88 O quam molliculi, decentulique,
 89 non sic pluma nitet columbolarum
 90 non sic mollities lepusculorum,
 91 non sic blanditiae cuniculorum,
 92 non sic serica sola lanularum
 93 pingit murice, qua tyros rubenti.
 94 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 95 Quis non aspiciat tuos ocellos
 96 inde regia pupa ? Quis nitentes ?
 97 Orbes, et teneros amoris ignes
 98 illos dulciculos amoris ignes
 99 pupa mellea pupa, qui perurunt
 100 mi praecordia, qui mihi medullas
 101 absorbent rapiunt, suo calore
 102 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 103 Sunt hi flammeoli quidem, et nigella est
 104 horum pupula pupa, sed videntur
 105 caeli sidera bina non ocelli
 106 caeli lumina clara, clariorque
 107 in illis residet, lepor venustas
 108 splendor aureus aureusque fulgor
 109 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 110 Quin nec decipior, duo pyropi
 111 sunt hi lucidoli duaeque Amoris
 112 Stellula mea pupa, sunt gemellae
 113 faces, qua exhilarant profundiores
 114 pectoris tenebras malasque curas :
 115 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 116 Dormi, et tu bone somne ne moreris
 117 pupae claudere blandulos ocellos,
 118 veni blandior, ampliusque apertis
 119 illam haud luminibus sinas cubare
 120 somnum lacteolas decet puellas,
 121 ut crescant, veniantque pulchriores :
 122 dormi bellula pupa, pupa dormi.

123 Huc papaverulis revinctus adsis
 124 Somne, huc pallidulos gerens amictus
 125 stellulis nitidos gerens amictus
 126 et virgam manibus soporientem.
 127 Ut hac pupula, te suo lubenter
 128 lectulo excipiat, sinuque blande.
 129 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 130 At sub somne satis patrem tot inter
 131 curas orbis habere saepe noctes
 132 in somnes, variisque convolutum
 133 bellis evigilare ad arma ad enses.
 134 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 135 Veni blandule somne, claude ocellos
 136 quin tu blandula pupa claude ocellos
 137 illos ebriolos duella ocellos
 138 dulces flammeolos, loquaculosque
 139 adurunt animum suo rotatu
 140 si nescis, rapiuntque, subtrahuntque
 141 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 142 Hic namque innumeri greges amorum
 143 spectantur mea pupa lusitantes
 144 hic namque innumeri Cupidinilli
 145 spectantur mea pupa nidulantes,
 146 illos en video pharetrulatos,
 147 illos en video aureis sagittis.
 148 Mi praecordia pupa vulnerantes
 149 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 150 Dormi crudula, ne velis tueri
 151 me, ne pupula fixiore ocello,
 152 quin vos lumina fixiore ocello,
 153 illius genulas videte pulchras,
 154 illius genulas puellulares
 155 lactentes genulas puellulares
 156 dulcis flammeolas genas decentes
 157 molles lacteolas genas rubentes,
 158 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 159 Hic venas minium rubentiores,
 160 hic ostrum radios pudentiores
 161 hic ver floridulum suos ocellos
 162 florum detegit, hic hyans Huacinthus,
 163 hic narcissinus ardor, hic rosarum
 164 delicatula purpura scit aetas.
 165 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 166 Ecquis basia ? Quis rosis tuis non
 167 dabit florida pupa ? Pupa flore
 168 rosa pulchrior, elegantiorque
 169 pupa gratior omnibus Huacinthis
 170 pupa blandior omnibus cupitis
 171 florum sideribusque, ocellulisque.
 172 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 173 Vobis basia trado grata, vobis
 174 rosae lacteolae rosae venustae
 175 rosae virgineo pudore plenae
 176 ne mi vulnera, ne mihi dolentes.
 177 Spinas flammeolae rosae paretis.
 178 Dormi bellula pupa, pupa dormi.

179 Rides et foveam genis tenellam
180 detegis lepidamque blandulamque,
181 ride bellula, ride, basiari
182 te volo mea stella, corculumque
183 te meum volo, sicque basiari
184 te volo et foveam tuam tenellam,
185 ut implere velim, velimque longa
186 genas suggere basiatione,
187 dormi bellula pupa, pupa dormi.
188 Et quales trahitis moras amoris
189 labra ? Basia tradite, osculorum
190 hic hic agmina defluant parumque
191 mille, o labra videntur, ore mille
192 rursus addite, nec satis videntur
193 mille jungite mille mille mille,
194 et tot millia mille, ut astra vincant :
195 ut conchas numero rubentiores,
196 ut guttas numero minutiores,
197 dormi bellula pupa, pupa dormi.
198 Sed partem quoque mille basiorum
199 illius capiant labella bella
200 illius capiant labella blanda
201 blanda labra, pudica, mollicella
202 mollicellula labra, purpurina
203 succi plenula labra, basiorum
204 sedes est ubi mellea, et leporum
205 dormi bellula pupa, pupa dormi.
206 O quam dulcia, quamve delicata,
207 non sunt pupula, non labella bella haec.
208 Quae deosculor ore, basiorum
209 sed magis bibulae duae rubentes
210 pupa spongiolae, magisque bina
211 sunt conchylia Margaritularum
212 sunt coralia rubra, cellulaeque
213 ubi mel, ubi parva turba amorum
214 rorem conficit ore, saccharumque
215 dormi bellula pupa, pupa dormi.
216 Talis forsitan adfuit Lacaena
217 cum pulchellula, cumque parvulilla
218 cum gemmatula tota, tota pulchra
219 visa est igneolo nitere vultu
220 formosissima pupa pupularum
221 dormi bellula pupa pupa dormi.
222 Talis forsitan aureis in undis
223 fuit Cypria, paetulosque ocellos.
224 Habebat rubicundula, et nitentes,
225 tunc cum pupa fuit, fuitque vultu
226 praestantissima pupa pupulorum
227 dormi bellula pupa, pupa dormi.
228 Sed cur lacrumulis tuis misella
229 vexas igneolos puella ocellos,
230 illos igneolos puella ocellos,
231 caelis sideribus sereniores ?
232 Quid sic turgidulos facis quid inter-
233 -ruptis bellula vocibus gemiscis ?
234 Dormi bellula pupa, pupa dormi.

235 Regum haud lacteolas decet puellas
 236 flere duriter, atque amarulenter,
 237 regum haud blandidulas decet puellas
 238 singultire, dolere, lacrimari
 239 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 240 Omnis laetitia triumphat orbis
 241 exorta es quia tu venusta pupa
 242 omnis laetitiae triumphat aetas,
 243 monstrasti quia te tenella pupa
 244 omnis laetitia triumphat ordo
 245 ingenti es quia nata pupa rege
 246 et tu crudula pupa vis dolore ?
 247 Et tu crudula pupa lacrumari ?
 248 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 249 Dormi corculum amoris hos ocellos
 250 claude blandula, claude mollicella,
 251 non sunt fonticuli lacrumularum,
 252 non sunt alveoli imbrium, urnulaeque,
 253 sed soles nitidique, flammeique
 254 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 255 Tu formosior omnibus puellis,
 256 es, istis oculis tuis venustis,
 257 sed cum crudula pupa lacrumaris
 258 tunc es turpior omnibus puellis
 259 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 260 Dormi delictum, serenitasque,
 261 pectoris mea pupa, sunt protervae.
 262 Pupae quae strepitant, malaeque pupae
 263 bonae nil querulae, silent, cubantque
 264 absque lacrumulis, et absque fletu
 265 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 266 Si claudes nitidos sopore ocellos,
 267 et silentiolo quietiori
 268 tibi pectoris aura palpitabit,
 269 tibi tradere pupa turturillam
 270 tibi murice psittacum virenti
 271 volo conspicuum, volavit aureo
 272 horto, qui Hesperidum, tuisque silvis,
 273 ut tuum recinat puella nomen,
 274 ut tuas decoret puella cunas.
 275 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 276 Ni claudes nitidos sopore ocellos,
 277 ni silentiolo quietiori
 278 tibi pectoris aura palpitabit
 279 tibi tradere pupa turturillam
 280 tibi murice psittacum virenti
 281 nole conspicuum voraginoso
 282 sed Orco dare pupa te vorandam,
 283 qui malas solet, heu, vorare pupas.
 284 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 285 Ah magis gemis ah magis reclamationes,
 286 ah times, mea pupa, devorari,
 287 et quis te dare pupa devorandam
 288 velit, si es bona pupa, pupa bella,
 289 si mellitula tota, tota blanda
 290 si pulcherrima pupa pupularum

291 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 292 Ecquis te dare pupa devorandam
 293 velit, si soboles potentioris
 294 Regis, quem colit, et tuetur orbis
 295 quis te laedere pupa, si tot ampla
 296 tibi regna patent, tibi que longo
 297 dives India pupa dissita inter-
 298 -vallo divitias ministrat auri ?
 299 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 300 Ecquis tangere te valebit audax
 301 quis pulchellula pupa, si tuarum
 302 terrarum vigil, aureusque custos,
 303 sol claris famulatur undique astris,
 304 et cunas simul aspicit nitentes ?
 305 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
 306 Non non te dare pupa devorandam
 307 volo, sed dare lacteas papillas,
 308 illas pupula lacteas papillas,
 309 quas tu dexterula soles tenella
 310 contrectare avideque blanditerque
 311 dormi bellula pupa pupa dormi.
 312 Ah sugis tumidas tenella mammas :
 313 suge lactea, suge parvulilla
 314 sed te parvula pupa grandiolem
 315 fac, et viscera pasce, pasce ductus
 316 tuarum mea stella venularum :
 317 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 318 Sis solaciolum patris jocosum,
 319 sis dicacula, laeta, blaesulansque
 320 et proterva simul, simulque blanda
 321 ut tantis sinat aestuare curis
 322 bellorum, quibus is laboriosam
 323 ducit undique regiam juventam
 324 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 325 Tu matri similis, magisque matre
 326 eris pupula pulchrior, puellae
 327 omnes Austriacae tibi haud valebunt
 328 se conferre superbulae et decentes,
 329 Isabella tuo minus venusta
 330 jam videbitur ore, comparari
 331 Margarita tibi timebit, audax
 332 et Anna et Caterina, erisque grandis
 333 tu fecundior hac amata pupa
 334 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 335 Jam multos video, augurorque reges,
 336 qui te percupiant, amentque noctes
 337 tecum ducere candidas, ut orbis
 338 novos sis paritura pupa Reges,
 339 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 340 O si vivere pupula usque ad illum
 341 diem sidera traderent benigna
 342 mihi, ut cernere sponsulam valerem
 343 te, quam nunc video osculorque pupam ?
 344 O diem niveum, diem beatum
 345 dormi bellula pupa, pupa dormi.
 346 Tunc superbior omnibus puellis,

347 eris regia pupa, nec videre,
348 nec cognoscere me voles proterva,
349 quae nunc do tibi lacteas papillas,
350 quae dulces tibi canto pupa nannas
351 dormi bellula pupa, pupa dormi.
352 Ah vale mala pupa, nolo nannas
353 amplius tibi dicere, osculari
354 te nolo amplius, improba, invenusta ?
355 Aufer dexterulam meas quid audes
356 mammas tangere ? Quid proterva mammas ?
357 Dormi bellula pupa, pupa dormi.
358 Sunt meae mala pupula haec papilla
359 sunt mea ubera, quae proterva tangis,
360 immo pupula sunt tuae hae papillae
361 immo ubera, qua proterva tangis
362 suge lactea pupa, pupa suge
363 dormi bellula pupa, pupa dormi.
364 Ah dormis bona, flebilisque tandem.
365 Claudis lumina conticesque pulchro
366 lectulo recubans (satis) decenter
367 dormias mea pupa, dormienti
368 tibi lacteoli puella amores
369 aurulas agitent benigniores,
370 aurulas agitent procaciores
371 dormi bellula pupa, pupa dormi.
372 Ni fallor magis ore pupa pulchro
373 pubescis, placidusque somnus ore
374 ostendit genulas magis tumentes,
375 accendit genulas magis rubentes,
376 cresce lactea, cresce blandulilla
377 sic crescit rosa vernulans Roseto,
378 sic, et lilia pulchra vernulantes
379 expandunt calices, bibuntque rores
380 solis purpurei serenioris
381 dormi bellula pupa pupa dormi.
382 O quali ingenuo nitore gemmans
383 habet linteolo implicata vultum
384 ah prosit mihi tradere osculillum,
385 unicum mihi tradere osculillum
386 dulce, molliculum, elegantulumque
387 dormi bellula pupa, pupa dormi.
388 Dedi molliculum dedi, o voluptas,
389 o dulcedo mea aurea, o meum cor
390 ecquis naeniolam tibi jocosam
391 non cantet mea pupa ? Blandientes
392 quis voces tibi, cantiunculasque,
393 mellitas negat, et lepore plenas ?

IN ORTU SERENISS. INFANTULI FEDERICI RUVERE URBINATUM PRINCIPIS. NAENIA.

N_26 v.1 O quam belle puer cupitus, o quam
 2 optatus populis, quibus revolvit
 3 fluctus auriferos Isaurus undis
 4 quam toto simul expetitus orbe ?
 5 Nanna Naenia nonne pupe nanna,
 6 non sic lucifer expetitus Oeta
 7 mane purpureum diem reducens
 8 ut tu pupule pupulorum ocella
 9 expetitus ab omnibus fuisti,
 10 nanna naenia nonne pupe nanna.
 11 Te nascente puer venusta gaudent
 12 omnes undique pupuli, et puelli,
 13 te nascente puer tenelle plaudunt
 14 Omnes undique pupulae et puellae
 15 nanna naenia nonne pupe nannas
 16 duces Ausoniae venuste pupa
 17 te nascente hilares fuere, et omnes
 18 festivam explicuere ubique frontem
 19 Dux tibi Allobrogum, tibique ; Etrusci
 20 ad plausit moderator Orbis, omen
 21 et Parma, et Mutina Duces secundum
 22 dixere, et Proceres simul Quiritum
 23 et Gallus tibi Rex, tibique Iberus
 24 nanna naenia nonne pupe nannas
 25 O qua laetitia repletus, o qua
 26 pater, tu quia pupe natus illi es,
 27 o qua laetitia refusus, o qua
 28 ortus, huic quia tu venuste pupe ?
 29 Nanna, Naenia nonne pupe nanna.
 30 Per te conspicuum jubar juventae
 31 rursus induit, et sereniores
 32 dies nunc peragit magisque pulchros
 33 sibi conspicit ire pupa soles.
 34 Nanna naenia nonne pupe nanna.
 35 Huic flectas teneros venuste ocellos
 36 huic flectas placidam tenelle frontem,
 37 illos ebriolos venuste ocellos,
 38 illam lacteolam tenelle frontem
 39 quae curas abigit severiores
 40 nanna naenia nonne pupe nanna.
 41 Huic huic tu similis puer tenelle
 42 eris, cum mage grandis, artibusque
 43 instrues animum bene, et decenter,
 44 factus undique flos juvenulorum.
 45 Nanna naenia nonne pupe nanna.
 46 Agnosco eloquio potens ut ille
 47 eris blandule pupe, nam labellum
 48 subridet tibi melleum, tibique
 49 insunt gratiae, et Attici lepores.
 50 Nanna naenia nonne pupe nanna,
 51 ille ut consilio valebis audax
 52 cum reges populos, ut ille fortis
 53 dextra cum Clypeos geres nitentes
 54 et ense lateri feres minacem,

55 et terga alipedum premes equorum
 56 nanna naenia nonne pupe nanna.
 57 Id matri quoque flammeos ocellos
 58 volve blandule pupe, pupe belle,
 59 sed matrem quoque, cerne gestientem
 60 quae te blandidulum, dedit puellum
 61 nanna naenia nonne pupe nanna
 62 te solaciolum suum cupitum
 63 vocat, et lepidum suum leporem,
 64 te te delictum suumque amorem
 65 dicit spemque, animumque, corculumque
 66 nanna naenia nonne pupe nanna.
 67 Sed condas potius tuos ocellos
 68 pupe blandule dormiens decenter,
 69 sed condas potius tuos ocellos
 70 somno languidulo soporientes.
 71 Nanna naenia nonne Pupe nanna.
 72 Pulcher lectulus en tibi paratus
 73 stratus murice, purpuraque et auro.
 74 En cunae tibi pupulae <.....> (fin de vers illisible)
 75 qui placet tibi pellicitque somnum.
 76 Nanna naenia nonne pupe nanna.
 77 En somnus thalamum petit cupitum
 78 Et <in cliniato> tuo quiescit. (texte peu lisible)
 79 Pulchellus puer est, puer tenellus,
 80 puer blandidulus, puer venustus :
 81 puer luteolos gerens cothurnos
 82 puer languidulos gerens amictus
 83 nanna naenia nonne pupe nanna,
 84 num vis cernere pupe, num videre hunc.
 85 Sed clausis oculis puer videtur,
 86 sed clausis oculis, venit, moratur,
 87 et petit pueros, petit puellas.
 88 Nanna naenia nonne pupe nanna.
 89 Ah claudis teneros tuos ocellos
 90 ut somnum videas puelle bellum,
 91 en somnus petit igneos ocellos,
 92 ut sese tibi deferat videndum,
 93 nanna naenia nonne pupe nanna.
 94 Sic puer facias tenelle saepe
 95 illum, et luminibus tuis fovete,
 96 sic somne huc venias tenelle saepe
 97 ut cunis foveas bonum puellum
 98 qui toto fuit expetitus orbe,
 99 nanna naenia nonne pupe nanna.

BLANDITIAE. BASIA.

N_27 v.1 Isabellula
 2 pupa bellula
 3 me pauxillulum
 4 istis basia
 5 labellis tuis,
 6 me pauxillulum
 7 istis roridis

8 rosis, quid facis
 9 meum corculum ?
 10 Quid venustula
 11 mi columbula ?
 12 Quid ocellule
 13 mi pulchelule ?
 14 Da mi basium,
 15 unum non satis,
 16 non satis duo,
 17 non satis tria.
 18 Centum basia
 19 pange mollia
 20 centum basia
 21 pange mellea,
 22 nec centum satis
 23 horum sed mihi
 24 mille, dein mihi
 25 mille et altera
 26 mille, ut non queant
 27 enumerarier,
 28 o quam dulcia,
 29 quam suavia.
 30 Cor mi subtrahunt
 31 o mi pupula,
 32 cor mi super nunc
 33 o pupillula
 34 pupa bellula,
 35 pupa blandula,
 36 pupa lactea,
 37 elegantula,
 38 cicinnarada,
 39 delicatula,
 40 mollicellula
 41 Isabellula.

NEQUITIAE.

N_28 v.1 Bella pupula,
 2 quid sic pupulis
 3 pupillas mihi ?
 4 Belle ocellule.
 5 Quid ocellulis
 6 sic rides mihi ?
 7 Quid sic fletitas ?
 8 Quid sic lusitas ?
 9 Conde ocellulos
 10 istos bellulos,
 11 conde pupulas
 12 istas pupula,
 13 cor mi sauciant
 14 isti ocelluli,
 15 cor mi dividunt
 16 ista pupula,
 17 mala pupula,
 18 mali ocelluli,

19 et lacrimula
 20 sed quis vos malas
 21 dicat quis velis
 22 vos abscondier ?
 23 O roridula
 24 Margaritula,
 25 Quis lacrimula.
 26 Quis vos lacrima ?
 27 Bellae lacrima
 28 bellae guttula
 29 bellae gemmula ;
 30 bella lumina,
 31 belli ocelluli
 32 bellae stellula,
 33 bellae pupula.

LABELLA.

N_29 v.1 O labellula
 2 mollicellula
 3 quis sic ignea
 4 quis sic reddidit ?
 5 Purpuritula
 6 vos ? Nam basia ?
 7 At quis basia
 8 vobis pangere
 9 ausus ? Sunt mea
 10 haec labellula
 11 mollicellula,
 12 mihi diviter
 13 haec coralliunt,
 14 mihi divitior
 15 haec conchiliunt.
 16 Ah ne tangere,
 17 ne quis audeat
 18 haec labellula
 19 mollicellula,
 20 purpuritula.

CINCINI.

N_30 v.1 Quis cincinnulos,
 2 istos tortiles
 3 tibi, lux mea
 4 compsit ? Quis tibi
 5 fronte crispulos
 6 pupa reddidit ?
 7 O quam belluli,
 8 quam elegantuli,
 9 quam tenelluli.
 10 Iste lucidus
 11 est anellulus,
 12 qui auro perlitus
 13 fulget, parvula

14 solum gemmula
15 deest illius
16 clausa orbiculo,
17 nec deest sibi
18 ipse est gemmula
19 atque annellulus :
20 ille gratior
21 est, qui pendulus
22 lascivit tibi,
23 flavusque, undulat
24 frontis margine
25 tuae lacteo,
26 sic hyacinthulas
27 cincinnatulas
28 exerit comas
29 mane rorido.
30 Ille mollior
31 et qui vagulus
32 summo vertice
33 aurescit tibi
34 molli floculo,
35 et superbiens
36 supereminet,
37 delicatula
38 non sic plumula
39 est columbela,
40 cum reflectitur
41 ad solis jubar,
42 cum torquatula
43 columbillat ad
44 ictus lucidos,
45 non sic, lux mea,
46 molles setulae
47 sunt lepusculi,
48 cum auritulus
49 totus emicat,
50 o quot orbibus
51 hyacintiunt.
52 Elegantulis,
53 o quot nexibus
54 aureis simul
55 sese vinciunt,
56 o quam blanduli,
57 quam sunt crispuli,
58 quam decentuli,
59 quam venustuli,
60 hi cincinnuli.
